

Nocent vero oculis, & concremento huic minus proportionata sunt EMETICA & STERNVTATORIA fortiora, quæ vtraque oculis eliciunt potius lachrymas, & alliciunt humores, vnde non facile adhibenda sunt, ob motum & concussionem vehementiorem.

Disiiciunt ERRHINA & MASTICATORIA ; illa quidem mitiora, ne sternutationem cieant. Nouimus sic fœminam cœcam redditam , cui succus betæ maiori quantitate pro errhino fuerat commendatus a medico. Præstant mitiora, vt aqua maioranae, pulueres nasales, ex schænanthro aliisque, minus commouentes , vt puluis tabaci hodierno more præparati.

Optima vero sunt MASTICATORIA ex *tabaco*, *globulis masticatoriis Lauremberg.* *caryophyllis*, *anis.* *fæniculo*, utroque vero nomine perinclusis *cubebis* , & sicca & humida forma, seu sola illa apophlegmatisatione promouenda seu vt suavis simul exhalatio vel vapor infletur in oculos , vnde eiusmodi inhalationes, ex *aniso* v.g. *fæniculo*, *masticabe* commode locum habent.

Pertinet huc ipse fumus *tabaci*, qui in frigidis , & suffusione quieta & humidioribus magis prodest, in calidioribus vero & dolorosa non æque ; vnde probe hæc sunt distinguenda, ne dum tollere humor lymphaticum volumus, incrassemus magis imminuendo, & spiritus ligando. Omnia decenter & conuenienter moderanda.

Disiiciunt FONTICVLI & VESICATORIA , quæ causæ coniunctæ satisfaciunt, & affectibus fouentibus vel disponentibus. Sane in ichorescentia lymphæ, & *peumatosum* ac *sudor* seu stagnatione h. l. in oculis probatissimi sunt fonticuli, neque præsentius in dolorosa suffusione vel visus debilitate remedium.

Inusti